

XLVII.*Anno 1233. die 22. Septembris.*

Colomanus, totius Slavoniae Dux, conditiones initae inter Regem Hungariae et Pontificis Legatum conventionis, se quoque servaturum promittit et juramento roborat.

Nos Colomanns Dei gracia Rex et dux tocius Sclavonie, omnibus presentes litteras inspecturis facimus manifestum, nos vidisse et habuisse litteras sigillo domini A. Illustris Regis Ungarie patris nostri, et notasse capitula singula diligenter super compositione habita inter venerabilem patrem Jacobum Prenestrinum Electum, apostolice sedis legatum, ex una parte, et predictum dominum Andream Regem ex altera, super negociis ecclesiarum Ungarie et aliis, et tenore presencium promittimus et iuramus, quod omnia et singula in compositionem predictam deducta, que nos tangunt, et de cetero tangent, observabimus, nunc et in futurum: et ad ea, que tangunt vel tangent Regem Ungarie, dabimus rogando et consulendo operam, quod Rex, qui est et quicumque pro tempore fuerit et omnia capitula et singula debeat observare. In cuius rei testimonium presentes litteras, ad petitionem dicti legati, Sigillo nostro fecimus communiri.

Theiner. Mon. Vet. Hung. P. I. p. 119.

XLVIII.*Anno 1234.*

Colomanus Dux villae Verevče (Verovitica) Regia potestate libertates et jura concedit.

Colomanus, Dei gracia Rex et Dux tocius Sclavonie, vniuersis presens scriptum inspecturis Salutem et omne bonum. Que aguntur in tempore ne labantur cum eodem, prudencium stabiliunt ea litterarum testimonio roborare. Noscat igitur tam presens vniuersitas quam futura: quod nos hospitibus nostris de magna villa Wereuche, tam ad presens existentibus quam supervenientibus talem constituimus libertatem: vt et libere uenire possint cum omnibus pecunijs suis,